



68
13 D
34

Francisci Maurolyci de imaginibus sanctorum.




DE SANCTORVM APOSTOLORVM PETRI, ET PAVLI IMAGINIBVS,

AD


S. D. N. GREGORIVM XIII. PONT. OPT. MAX.

Libellus.

AVCTORE FRANCISCO MVCANTIO I. C. Romano, Cerimoniarum Magistro.







ROMÆ, Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales. M. D. LXXIII.

DE SANCTORVM APOSTOLORVM PETRI, ET PAVLI IMAGINIBVS,

AD S. D. N. GREGORIVM XIII. PONT. OPT. MAX.

Libellus.

AVCTORE FRANCISCO MVCANTIO I. C. Romano, Cerimoniarum Magistro.



ROMAE, Apud Haeredes Antonij Bladij Impressores Camerales. M. D. LXXIII.

SANCTISS. D. N.


GREGORIO XIII.

PONT. OPT. MAX.

FRANCISCVS MVCANTIVS I. C.

Romanus, Cerimoniarum Magister,

Perpetuam Felicitatem.





CVM mihi impositum esset onus P. B. perscrutandi si quae inter sacros ritus, apostolicasq. cerimonias, emendatione, animaduersioneq. digna viderentur, quaestio illa inter multas, sese mihi obtulit iam dudum agitata, sed nondum plenè declarata: vtra ex imaginibus beatorum apostolorum Petri, & Pauli, alteri esset ritè anteponenda: promiscuum enim, & varium in picturis, marmoribus & monetis, pro diuersitate temporum, & locorum eius rei vsum videram: constantissimè tamen, à prisca vetustate, ad haec vsq. tempora vsurpatum, tum in plumbeis apostolicarum litterarum sigillis, tum in Pontificio sacello, vt Pauli imago ad dexteram Petri collocetur. Quare non sine magna id ratione factum, ac per tot annorum curricula, à tot Romanis Pōtificibus admissum, comprobatumq. esse statuens: indicabam satius esse, quaestionem ipsam silentio praeterire, quam disputationum circuitionibus imbecilliorum mentibus scrupulum inycere. Verùm quia nuperrimè, quidam de ea re commentariolum promulgarunt, in quo, licet veram propositionem tuendam susceperint, illam tamen (pace eorum dixerim) non ita fortasse planè, ac dilucidè explicarunt, vt eorum animi, qui sacrarum literarum cognitione non omnino imbuti sunt, penitus acquiescere possint. Iccirco congestis in vnum pluribus, firmioribusq. authoritatibus, & rationibus, quas partim ex viri eruditissimi G. Cardinalis Sirleti sermonibus, partim verò ex diuersis probatissimorum scriptorum monumentis decerpseram, pro virili conatus sum eius mysterij arcana aliquantò clarius, demonstrare.


strare. Quamuis autem initio tacitus ea praetermittere decreuissem: tamen quando huiusmodi iam quaestio in vulgus prodijt, expedire visum est, eam paulò distinctius, atq. apertius declarare; ne ab his, qui sacra haec mysteria contemplantur, & colunt, de ea dubitari amplius contingat. Ea autem Sanctitatis tuae integerrimo iudicio, excellentiq. prudentiae, ac doctrinae, quibus humana omnia subesse debent, prius subijcere volui; non ante in alienas manus proditura, quàm ab ipsa Sanctitate tua, robur, & firmitatem acceperint. Qualiacunq; illa erunt P. B. supplex Sanctitatem tuam oro, vt ea, tamquam tui beneficiarij (cui exercendarum sacrarum cerimoniarum munus, paulò ante non minus benignè, quam beneficè contulisti) grati animi indicia, primitiasq. in eo studij genere aequi boniq. consulat. Vale.



THOMAE CORREAE

IN SEQVENS OPVSCVLVM DE IMAGINIBVS BEATORVM PETRI, ET PAVLI ARGVMENTVM.

Bissenos inter proceres duo lumina, per quos
Roma potens magni sustinet orbis onus.
Seu dextra, laeuaq. sedent, par gloria vtriq.
Par honor, & laus est, stat bene quisq. loco:



DE SANCTORVM APOSTOLORVM PETRI, ET PAVLI IMAGINIBVS,

AD GREGORIVM XIII. PONT. OPT. MAX.



QVI contra antiquissimum ritum collocandi imaginem beati Pauli apostoli, ad dextrum Petri apostolorũ principis latus disputant, his fermè rationibus moueri solent. Nempè in ecclesia militanti ad exemplum triumphãtis, ordinem esse adhibendum, vt scilicet pro cuiusq. officio, & dignitate alius alio superior sit, praestantioremq. gradum obtineat. Constat autem dexteram partem in honore semper habitam esse, perq. eam, tum iurisdictionem potestatem, & fortitudinem; tum etiam potiora bona, idest gloriam, felicitatem, beatitudinẽ, aeternitatemq. designari. Nam, & ab ipso ferè mundi exordio, cum sacerdotium primigenio esset annexum; id fuisse in vsu videtur, vt ipsi primogeniti, praeter alias honoris praerogatiuas, digniorem locum apud patrẽ, hoc est ad eius dexteram haberent. Et post Christi aduentum per duos latrones hinc inde à lateribus crucis Domini,

Rationes cur Petrus praeferendus.

Distin. 89. c. fi. Turrecre. lib. 2. de ecclesia c. 1.

Glo. penul. in l. decernimus. C. de sacro. eccl. ibi Bald.

Tho. super epist. ad Hebr. c. 8.

Can. 21. 9. q. 3. *Augusti. super genes. loquu. 80 & super symbo. serm. 2.*

Genes. 48. in fi. glo. fi. c. quam periculosum. 7. q. 1.

Marc. 15. Luc. 23.

Domini, patibulo affixos significatum fuit. Et in ipso mundi exitu idem obseruandum fore certum est, cum filius hominis in suae maiestatis throno sedēs, oues ab haedis segregabit, illas quidem in dextera, hos vero in laeua statione collocans. Quare cum sublimior inter mortales potestas; principatus apostolorum, & Ecclesiae gubernatio vni Petro, quasi primogenito, eaq. triplici tempore, & ante passionem, & circa passionem, & post passionem, Christi Dei ore commissa fuerint: cumq. ipsimet apostoli eundē principem, & Ecclesiae vniuersalem pastorem agnouerint, & confessi sint (vt Anacletus papa ait) Ad haec Sancti Euangelistae apostolorum seriem recensentes ipsum Petrum sine cōtrouersia ceteris anteponant; sitq. argumentum non inefficax praelationis scripturae ordo: nulli dubium esse potest, tum ex his, tum ex quam plurimis alijs, quae consultò omittuntur auctoritatibus, Petrum, & principatu, & dignitate ceteris omnibus anteire: quāmuis aliqui, vel meritis, vel sapientia, vel alia de caussa illi pares, aut aliquando superiores habiti sint: quòd si primus, & dignior, postulare ordo videtur, vt & nos illū prae ceteris apostolis veneremur, ipsiusq. imagini praecipuum locū statuamus. Etenim D. Augustinus, dum Cyprianum, quantum ad martyrij gloriam Petrum aequiparasse refert, mox statim subdit. Ceterum magis
„ vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existā, quis
„ enim nescit illū apostolatus principatu cuilibet episcopatui praeferēdum? Quod ex eo quoq. clarè comprobatur,

Matth. 25.

I. RATIO à dignitate Petri

Torrecre. lib. 2. de eccle. cap. 6. Innoc. Papa iij. libr. pri. de myste. missae ca. 8.

Distin. 21. c. in nouo. distin. 22. c. sacrosancta.

... in c. quorū ... verbo prae... ... de ele... in 6. ibi dō...

... q. 7. Puto.

II. RATIO

batur, quod catholica Ecclesia instituit, vt quauis vno, eodemq. die beatorum apostolorum Petri, & Pauli solemnia concurrant, prius tamen Petri officium eo ipso die, mox altero sequenti de Paulo celebretur: tū quia Petrus conuersione prior; tum quia dignitate, & gradus excellentia maior: quippe cum Ecclesiae primatū gesserit. Quod fuisse D. Gregorij institutum antiqui auctores Ioannes Belethus, & Guillelmus Durātes scripserunt. Et ne plura congerantur nonne (inquiunt) ipsemet Paulus primas Petro detulit, societatis dexteram cum eo iungens, atq. euangelij praedicationem conferens, quasi consensum, & approbationem ab eo requirens? ex eo enim, vt D. Hieronymus ait, ostenditur Paulum non habuisse securitatem euangelij praedicandi, nisi Petri, & eorum, qui cum eo erant fuisset sententia roboratum: rursus cum in exitium Simonis magi ambo conuersi essent, Paulusq. erga Petrum diceret: meum est orare, tuum imperare, nonne manifestissimè, vt Gregorius testatur, eum sibi his verbis superiorem declarauit? Nec vero traditioni huic, quae ab ipso summo rerum opifice, sanctisq. apostolis emanauit, vllam quamlibet antiquissimam traditionem, aut consuetudinem aduersari posse cōsentaneum videtur: vnde multis in locis à diuersis pontificibus vsu receptū est, vt Petri quidem effigiem in dextra, Pauli vero in laeua parte poni curarent. Quod in primis, ex antiquissima tabula Constantini Imperatoris (vt aiunt) tēpore depicta, quam ipsius D. Petri Basilicae canonici, etiam

In rational. diui. off. Belethus cap. 138 Duran. lib. 7. c. 15.
III. RATIO.
Ad Gal. 2.
Glo. si in c. fin. dist. 11. ibi Archi. & Turrecrem.
Hiero. Epist. ad Augustin. xxij.
Egesip. lib. 3. de excid. Hierosol. Chroni. Antonin. tit. 6. cap. 4. §. 2.

etiam nunc diligentissime custodiunt perspicuum fit: Idemq. & hodie ex opere vermiculato Nicolai Papae iiij. aetate fabrefacto in abside Lateranensis Ecclesiae inspicere licet: ac deinceps Bonifacius viij. Nicolaus v. Pius ij. Sixtus iiij. & alij Rom. Pontifices diuersis in locis idem obseruarunt; nostraq. tempestate in monetis, siue argenteis denarijs Apostolorum capita eodẽ ordine inprimi videmus: atq. id etiam Paris Crassus olim Pisaurensis Episcopus, & cerimoniarum praefectus, quam plurimis alijs adductis rationibus comprobauit: Ceterum altius caussam peruetusti illius ritus, vt Paulus in dextro fingatur latere, inuestigantibus, pulcherrima in eius defensionem argumenta occurunt: liquido enim apparet, talem vsum non temerè, aut fortuitò irrepsisse; quinimmo ad explicanda praecipua quaedã, ac singularia sanctissimi à Deo electi viri merita, & virtutes, nostri exempli, eruditionisq. gratia à maioribus nostris introductum esse; vt dum oculis earum figurarum ordinem quasi praeposterum intueremur, mente ad altiora mysteriorum consilia peruenientes, sanctum, & laudabile vetus institutum, documentumq. agnosceremus, & ea qua decet veneratione coleremus. Si quidem constat eam pingendi consuetudinem in Ecclesia annos mille supra ducentos quinquaginta vsu receptam esse, vt ab ipsis ferè nascentis Ecclesiae principijs decurrisse videri possit: ea autem, quae tanta temporis longinquitate munita reperiuntur, tamq. altis radicibus inualuerunt, etsi nulla alia

Idem, et in abside templi S. Mariae maioris. (manuscript note)

Paris Crassus in Epistol. quadam ad Leonem. x.

Rationes cur Paulus praeferatur.

I. RATIO *ab antiquitate.*

alia ratione comprobari possent, retinenda nihilominus, amplectendaq. forent: multa enim, quorum ad nos memoria nequaquam peruenit, credendum est priscis illis patribus, qui ab Apostolorum aetate recẽtiores multò fuerunt, non ignota fuisse. Non omnia (inquit Augustinus) quae ab Apostolis facta sunt etiã scripta inueniuntur, verumtamen facta esse ex ceteris documentis probatur. Quod & D. Ioannis Apostoli, & Euangelistae testimonio intelligitur. Id verò, quod de longaeua illa consuetudine dixi, manifestissimè probatur. auctoritate doctissimi viri Petri Damiani olim Cardinalis Episcopi Hostiẽ. qui annos ab hinc quingentos supra viginti, & amplius floruit; cuius scripta non adhuc per vulgi manus tradita, quatenus de re proposita disserunt, quia admodum pia, & candida visa sunt, hoc loco placuit inserere. Eius verba haec sũt. Occurrit mihi quod ipse à me quaestione proposita saepenumero requisisti, cur videlicet in imaginibus picturarum per vniuersas adiacẽtes Romae prouincias, Petrus, qui primus est ad sinistram, coapostolus autem eius Paulus constituatur ad dextram, cum iuxta vulgarem sensum, hoc rerum ordo deposcat, vt Petrus, qui senatus apostolici princeps est dextrum Domini latus, Paulus verò, qui iunior est sinistrum iure possideat: sed durum est valde, vt opinemur, quia tam egregiũ, tamq. famosum Apostolicae dispositionis ordinem inconsultè, atq. inconsideratè deuota Deo, ac religiosa vetustas admiserit: neq. enim credendum est vt Constan-

Epist. 108. ad Selenciamum. Io. in vltimis sui euangelij verbis.

Petr. Damianus ad Desiderium abbatem.

„ tinus, Imperator, immo Papa Siluester, totq. post eos
„ principes, & sacerdotes in ecclesiasticae disciplinae li
„ tura peruigiles, atq. solertes, hunc ordinem tantorum
„ principum negligendum ducerent, si correptione di-
„ gnum aliquatenus aestimarēt. haec Damianus. Atqui
non propterea non ad sunt validissimae rationes, cur
id ita factum demonstretur: inter quas, non mediocris
II. RATIO. Ad Philipp. 3. ponderis illa est, quòd Paulus ab antiquissima stirpe
Beniamin (quod latina lingua dexterae filium sonat)
Gen. 35. originē duxerit. In eo namq. quòd Iacob ipsum duodecim filiorum suorum postremum, Beniamin, idest filiū dexterae appellauit, typus Pauli praefiguratus est, quem summus pater caelestis, licet vltimum post duodecim alios ad Apostolatum vocauerit; ei tamē dexterae suae virtutem plus quodammodo, q̃ alijs impartitus est; nempè fortitudinem, sapientiam, atq. eloquentiae vim, quarum ope gentiū populos, quasi ipso Dei praepotenti brachio ardenter ad Christi fidem rapuit: sicut & per Rachelem illius matrem, quae eundem Benoni, idest doloris sui filium vocauit, ore prophetico
Lib. de benedict. Patriarcha. cap. 12. (vt D. Ambrosius testatur) demonstratum est, orituru ex illius tribu Paulum, qui Ecclesiae filios persequutione afficeret, & graui ipsam matrem Ecclesiam dolore vexaret: quod latius, & quidem elegantissime idem Petrus Damianus eo in loco prosequitur in haec verba.
„ Ne ergo sanctae huius historiae ordo inordinatus ap-
„ pareat, quod nobis videtur breuiter innotescat. Paulū
„ planè de tribu Beniamin fuisse, quis ambigat? Benia-
min

min autē Hebraicè, latinè filius dexterae nuncupatur, «
Quid ergo mirum si ad dexterā constituitur, qui voca- «
bulum dexterae ex paterno iure sortitur? Enimuerò, vt «
vetus illa beato Paulo liquidò cōgruere videatur histo «
ria, non sine caussa scriptura dicit. Quia egrediēte ani «
ma Rachel prè dolore, & imminente iā morte, vocauit «
nomen filij sui Benoni, idest filius doloris mei: pater ve «
rò appellauit eum Beniamin, idest filius dexterae. Per «
Rachel namq. quae ouis vel visum principum dicitur, «
Ecclesia nō immeritò designatur, quae nimirum, & ad «
instar ouis innocenter viuit, & per studiū contemplatio «
nis ad videndum redemptoris sui speciem medullitùs «
inardescit. Beniamin igitur nascēte, Rachel mater emo «
ritur, dum appropinquante ad lucem nouae regenera- «
tionis Saulo persequutionibus Ecclesia per eum crude «
liter impugnatur; sicut Lucas in actis apostolorum Sáu « Act. 8.
lus (inquit) deuastabat Ecclesiā per domos intrans, & «
trahens viros, ac mulieres tradebat in custodiam. Con «
gruè itaq. Rachel Benoni, idest filiū doloris mei vocat, «
quem Iacob Beniamin, idest filiū dexterae nuncupat: «
quia Paulus, qui matris Ecclesiae dolor extitit, quiq. eā «
quodammodo, dum nasceretur impugnando peremit, «
à Deo patre filius dexterae est vocatus, dum diuina per «
eū potentia aduersus gentes, quasi per fortem suam de «
xterā dimicauit, verborū iacula violenter intorsit, salu- «
bres cordiū plagas intulit, & per eū deuictis, ac prostra «
tis hostibus cū gloria triūphauit (& paulo post) Recte «
igitur Paulus dextri iuxta Redemptorē lateris obtinet «
B ij dignitatem,

» dignitatem, qui diuinae dexterae non ambigitur exer
» cere virtutẽ. An non quodãmodo dexterã Dei aduer-
» sus Diabolum dimicantem se fatetur esse, cum dicit.
I. Cor. 9. » Ego autem sic curro, nõ quasi in incertum, sic pugno,
III. RATIO. » non quasi aerem verberans? haec ille. Est & alia non
minus efficax illius ordinis ratio, sanctorum patrũ do
cumentis tradita: quia videlicet (vt supra memoraui-
Ambr. lib. 2. de Abrahã c. 6. Aug super psal. 120. Thom. super ep. Paul. ad Hebrae. cap. 8. mus) per dexteram potiora bona, idest spiritualia, &
aeterna, per laeuam autem temporalia, & terrena signã
tur: Vnde fit, vt Paulo qui ad caelestia regna adhuc vi
uens, mortalisq. à Christo Deo immortali iã facto post
gloriosam ascensionem supra humanae naturae condi
tionem raptus est, non immeritò dexter locus tribua-
tur: Petrus verò, quem Christus adhuc inter mortales
constitutus ad apostolatum vocauit, cuiq. arcana Dei
nosse, vt Paulo datum non est, huius mysterij demon-
strandi caussa, sinistrum aliquando locum retinet. id
quod idem Damianus ibidem luculenter expresit, in-
» quiens. Huc accedit, quia Paulus ad caelum tertium
» raptus ascendit, vbi etiam arcana verba, quae homini-
» bus loqui non licet audiuit: quis autem nesciat, quia
» vita terrena Dei sinistram; caelestis autem significat de
Cant. 2. a. » xteram? sicut sponsa dicit in canticis. Laeua eius sub
» capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Laeua
» namq. esse sub capite dicitur, quia praesens vita apud
» electum quemlibet, sub mente, quae proculdubio co-
» gitationum caput est, despecta calcatur; dextera verò
» Dei sponsam amplexare perhibetur, quia dum fidelis,
& sancta

& ſancta anima aeſtuanti ſui creatoris igne ſuccēditur, velut diuinis quibusdam amplexibus vndiq. confoue tur. Qui ergo carnis adhuc fragilitate circundatus, ad caeleſtem vitam conſcendiſſe cognoſcitur, rectè filius dexterae nuncupatur. & reliqua. Hoc idem ferè & Innocentius Papa iij. poſt ipſum innuit, dum eorum adducit opinionem, qui inter Euangeliſtas Mattheo, & Ioanni ſiniſtrum; Marco & Lucae dextrum locum pari ratione aſſignant. eius ſunt verba. Quidam tamen per duos annulos à ſiniſtris Mattheum, & Ioannē accipiunt, qui adhaeſerūt domino adhuc paſſibili, & mortali: per duos à dextris Marcum, & Lucam, qui poſt Aſcenſionem adhaeſerūt Chriſto iam facto immortali & impaſſibili: per ſiniſtram enim mortalitas, per dextram verò immortalitas deſignatur, ſecundum illud. Laeua eius ſub capite meo &c. Propter hanc cauſſam in picturis Eccleſiarum Paulus ad dextram, & Petrus ad ſiniſtram Saluatoris ſtatuitur. haec Innocentius.

Innocentius iij In ſermo. de Euāgeliſtis paulo ante ſi

Quem etiam, eam picturae formam ſuo tempore artificibus imperaſſe, ex vermiculato emblemate in amplis fornicibus apud maiores aras Eccleſiarū Petri, & Pauli adhuc conſpicimus; extantq. litterae, quibus ille de pictore ſibi ob eam cauſſam trāſmiſſo Venetis gratias reddit. Innocentij autem verba integrè retulit Guillelmus Durantes: addens ex eadem cauſſa in bullis Papae caput Pauli à dextris crucis; Petri verò à ſiniſtris poni. Quod & ante ipſum D. Thomas Aquinas declarauit, his verbis. Et quia praeſens vita ſignificatur per ſiniſtram,

In Rational lib. 7. tit. 44.

Super Epiſt. pri. ad Gal.

„ ſtram, futura verò per dextram, inquantum iſta eſt cae
„ leſtis, & ſpiritualis, illa verò temporalis; Ideo Petrus,
„ qui vocatus fuit à Chriſto adhuc in carne mortali poſi
„ to, ponitur in bulla Papae in ſiniſtra parte, Paulus ve-
„ rò, qui vocatus fuit à Chriſto iam glorificato ponitur
in parte dextera. Eamdem ſententiam, & recentiores approbarunt. Adducit praeterea Damianus praedi-ctus, & alias duas eius rei ſignificationes. Alteram qui dem, quia cum Paulus onus euangelicae praedicatio-nis ad gentes praecipuè, Petrus verò ad circumciſos ſu ſceperint: vtiq. Paulo, cuius meritò potiſſimum tranſlata ad gentes Eccleſia, dexteram apud Dominũ me-ruit, ſynagoga poſthabita; congruenter ipſa pars de-

Viuald. in opere regal de pugna par. sẽſi. in 4. nota. 10. de Sil. in trac. de benef. 1. par. q. 5. nu. 71. Gom. in c. 1. de cõſt. li. 6. nu. 37. vbi plures alios citant. Ad Gala. 2

IIII. RATIO „ xtera aſſignatur. Damiani verba haec ſunt. Non ergo
„ immerito filius dexterae Paulus vocatur, per quẽ om-
„ nis gentium multitudo, quae ad dexteram Dei ponen
„ da eſt ad fidei ſacramenta colligitur: accinctus ſiquidẽ
„ verbo Dei, quod eſt gladius ſpiritus, hodie quoq. &
„ vsq. in finem ſaeculi dimicat, & tamquam fulminea
„ Chriſti manus, vibratis caeleſtis eloquij gladijs rigidas
V. RATIO „ reſiſtentium Deo ceruices obtruncat. Altera ſignifica
tio eſt, quam idem aliquantò inferius exponit, dicẽs.
„ Quamquam & hoc nõ à myſterio vacet, quòd beatus
„ Petrus Dominici lateris ſiniſtram tenet: per illum ſiqui
„ dem actiua vita ſignatur, & ſicut contemplatiua per de
„ xtram, ſic actualis exprimitur per ſiniſtram. Quòd au
„ tem per beatum Petrum praeſens vita hoc eſt actiua fi-
„ guretur, in hoc praecipuè demonſtratur, quod ſicut

euangelica

euangelica frequentissimè testatur historia, & Petrus Dominum plus ceteris discipulis diligat, & Dominus non Petro, sed Ioanni potius praerogatiuam specialis omnino dilectionis impendat: per Ioannem quippe contemplatiua, per Petrum verò, sicut dictum est actiua vita signatur. Quia sancti omnes in hac vita ad similitudinem Petri Deum plus amant, & quasi minus amā tur, dum propter eum duras laboris molestias perferunt, mortali tamen adhuc carne circundati ad amplexus eius dulcedinem non pertingunt: illi verò, qui iā cum Deo sunt in hoc eum quodāmodo minus amāt, & magis amantur, dum & pro eo nullos laborum turbines sentiunt, & tamē intimae familiaritatis eius oblectationibus perfruuntur. Non ergo mirum si beatus Petrus aliquādo partem videatur tenere sinistram, qui & actiuae vitae continet ex scripturarum auctoritate figuram hactenus Damianus. Sed & si dexteram partē pro honoris loco interpretemur, adhuc Petrus licet dignitate maior, & princeps mysticè tamen in sinistra Pauli apostolorum nouissimi ponitur, vt inde documētum sumamus, summum Pontificem humilitate decoratum esse oportere, sicut ipse Petrus fuit iuxta illud Euangelicum. Qui maior vestrū est, fiat sicut minor. Vnde D. Gregorius. Petrus (inquit) à Paulo minore suo reprehenditur, & reprehendi nō dedignatur: qua in re factus est sequens minoris sui, etiam vt in hoc pre iret, quatenus qui primus erat in apostolatus culmine, esset primus, & in humilitate. Qua de re vsus inoleuit,

VI. RATIO.

Luc. 9. Matth. 23

Lib. 2. super Ezechiel homil. 18 faci unt trad. per Tho Campe. de potest. Papa cap. 12. nu. 8. in fin.

iam inde ab ipso Gregorio magno introductus vt summi Pontifices seipsos seruorum seruos appellēt: quod & ipsius Pontificis nomen, iuxta Hebraicam deriuationem ostēdit, significat enim (teste D. Hieronymo) inclinationem, vt scilicet ipsi Pontifices, quamuis supra omnes mortales positi, meminerint tamen exemplo Christi, interdum de statu suo declinare, atq. adeo humiliter sese ceteris Christi fidelib⁹ subijcere, ac subministrare: eo enim ipso, quo se humiles declarant, maiores ceteris esse dignoscuntur: eamq potissimum ob caussam crediderim in altari Sacelli Pōtificij talem ponendarum imaginum formam perpetuò obseruatam esse, vt summi Pontifices, sacris interuenientes, atq. earum figurarum ordinem saepius conspicientes, diuini illius praecepti facilius memores essent. Illud etiam nō omnino alienum videtur, vt tunc dextrum latus Paulo conuenire dicamus, cum inter ipsos apostolos, vel crucis signum, vel Saluatoris imago media interponitur: cum vero ijdem apostoli, vel à lateribus gloriosae virginis, vel simpliciter, nulla inter eos imagine posita iunguntur, Petrum rectius anteponi: cui interpraetationi, & mysteria, quae supra relata sunt optime quadrant: & ex verbis auctorum, quae iam recitauimus, idem illos sensisse apparet: Quāquam non perpetuò id obseruatum fuisse constet. Haec tandem ferè erant P. B. efficacissima argumenta, quibus ostenderetur, sapienter quidem à nostris maioribus diuorum apostolorum picturas ita vt dictum est dispositas fuisse: nam leuioribus

Glo & doct. in proem. Decretal.

Gomes. in d. c. 1. de constit. lib 6. nu. 8. 9. & 10.

Marc. 10 glo. c. diaconi distin. 93.

VII. RATIO.

leuioribus quibusdam insistere, operepretiũ nõ duxi; cuiusmodi sunt illa, quae Cassaneus, ex Nebrissensi grãmatico sumpta adducit, de laeua parte pro digniori apud antiquos habita, id potissimum in caussa esse asseuerans, cur Petrus in sinistra, vtpote honestiori parte locaretur: quinetiam D. Thomae de ea re sententiam, tot praeclarissimorum virorum vnanimi consensu receptam, de qua supra mẽtionem fecimus, temerè, atq. impudenter coarguens. Sed quam in eo ipse fallatur, satis iam ex supra narratis declaratũ est. at verò dexteram omni tempore praestantiorem esse habitam, tum ex sacrae paginae obseruatione docuimus; tum etiã ex ipsis Ethnicorũ scriptis perspicuũ esse potest: hi etenim, cum sibi Deos, hominesq. propitios esse cuperent dextros illos adesse praecabantur: Quale illud Virgilij.

In catalog. gloriae mundi part. 3. consid. 2.

„ Adsis ò placidusq. iuues, & sydera caelo
„ Dextra feras. et Rursus
„ Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.

Lib. 4. Aeneid.

Lib. 8. Aeneid.

Innumeraq. alia huiusmodi, quae ex antiquis poetis, scriptoribusq. depromi possent. Plinius quoq. dexterae religionem quamdam inesse testatur. ac ne multa cumulem, satis id vel uno exemplo, ex Iugurthae historia à Salustio descripta, cõprobari potest. inquit enim. Hiempsal qui minimus ex illis erat natura ferox, etiam ante ignobilitatem Iugurthae, quia materno genere impar erat, despiciens; dextra Adherbalem adsedit, ne medius ex tribus (quod apud Numidas honori ducitur) Iugurtha foret. Quod si fortasse obseruatum esse

Lib. 11. ca. 45.

Salustius de bello Iugur. post prin.

C aliquando

aliquando dicatur, antiquitus, nobiliores, aut dignio res in ſiniſtra parte ſediſſe, aut ambulaſſe: non id continuò honoris cauſſa, ſed vel commoditatis, neceſſitatiſq. aut nonunquam praeſidij, vel cuſtodiae, vel etiã ob ſpecialem loci conſuetudinem eueniſſe cẽſendum eſt: quemadmodum de Cyro legimus apud Xenophõtem ſolitum eſſe cum medius in cõuiuio accumberet, eum quem magis honeſtare cuperet ad ſiniſtram apud ſe ſtatuere, vel quòd haec magis pateat inſidijs, vel quia cor ab ea parte locetur, cui qui proximior ſit charior eſſe videatur: quod & noſtris quoq. tẽporibus in vſu eſſe apud Turcas audiuimus, & in celeberrima ciuitate Bononienſi, & alibi conſuetum eſſe didicimus, vt nequaquam dextra, vel ſiniſtra in inceſſibus honori detur, ſed locus tantum parieti proximior, ob deambulandi maximè commoditatem. Ex his ergo iam patere arbitror, non ſolum eam conſuetudinem non eſſe vituperandam, vt effigies Pauli dextram, Petri verò laeuam partem poſſideat; ſed ſummè in hoc, vt in ceteris priſcorum ſanctorum patrum ita ſtatuentium ſapientiam, iudiciumq. eſſe collaudandum. Verumtamen (vt noſtram de ea re opinionem tandem interponamus) non vtiq. id tam religiosè, tamq. exactè ſeruãdum eſſe crediderim, vt perpetuò, & vbiq. Petri imaginem in laeua, Pauli in dextera pingendam eſſe affirmem; ſicuti nec ita dexteram Petro conuenire aſſeuero, vt errori tribuam, ſi qui vnquàm aliter finxerunt, aut fingunt: quod minus quidem rectè ſenſiſſe Paridẽ

Craſſum,

Crassum, ex his quae supra narrauimus abundè constare arbitror: sed vtrumq. morē diuersis in locis propter diuersas intelligentias, prout hactenus consueuit, conseruandum esse in posterum censemus: nihil enim inde pugnans, aut contrarium redundat: quandoquidem, vt saepius iam nominatus Damianus ait: cū Petrus ad dexteram ponitur, primatus eius, quem inter ceteros sortitus est apostolos honoratur: cum verò Paulus eiusdem dextri lateris occupat locum, Beniamin, aliaq. supranarrata mysteria repraesentantur. Ea autem cum nihil contra fidem, aut contra bonos mores, quinimmo excitationem quamdam, & documentum melioris vitae contineant, constantissimè sunt retinenda, atq. approbanda D. Augustino ita docente. *Lib. 2. ad inquisitio. Ianuarij.* De his, quae variè per diuersa loca obseruantur, tibi aliqua scribere non est necessarium: vna in his saluberrima regula retinenda est, vt quae non sunt contra fidē, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, vbicunq. instituti videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed laudando, & imitando, sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum sit. Nec verò recte dixerit quis alterius minui maiestatem, aut dignitatem, quòd diuerso modo, ob diuersas considerationes figuretur. *Arg. l. si pater. §. qui duos. ff. de adopt.* Exemplum ex veteri testamento de Moyse, & Aaron in promptu est; quorum alter alteri, secundum varios sensus praeponitur. *Exod. c. 6.* De his. D. Ambrosium audiamus. *Lib. pri. epist. ep. 2.* Moses ille (inquit) quo nemo

C ij praesentius

" praeſentius Deũ vidit, neq. ſurrexit in Iſrael propheta,
" qui Deum facie ad faciem, ſicut Moſes videret: ille qui
" diebus quadraginta cũ Deo iugiter, & noctibus fuit,
" cum legem acciperet in monte: ille (inquam) cui Deus
" dabat, quos loqueretur ſermones, inuenitur magis Aa-
" ron fratris conſilium, quam ſuum probaſſe. Fuit ergo
" quiſquam hominum Moſe prudentior, & inſtructior?
" At ipſum Aaron circa Æthiopiſſae perſonam erraſſe le
" gimus. Sed hoc ipſum diligentius diſcute, vbi Moſes
" ſcientia praeponderet, vbi Aaron conſilio. Moſes ma
" gnus propheta, qui de Chriſto dixit, ſicut me ipſum au
" dietis; & de quo ipſe Dominus ait, ſi Moſen, & prophe
" tas non audiunt, nec ſi quis ex mortuis ad illos adierit
" credent. Ergo in cauſſa prophetiae praefertur Moſes,
" ſicut propheta; vbi autem cauſſa, & munus, & officiũ
" ſacerdotij eſt, praefertur Aaron, ſicut ſacerdos. haec
" Ambroſius. Hinc conſuetudo inualuit, dum corã Pon
tifice maximo, & ſacro Cardinalium ſenatu, vel etiam
abſente Pontifice ſacra fiunt, vt principes quidem laici
ad dextrum Pontificalis ſolij latus ſtent: Patriarchae ve
rò, & alij praelati aſſiſtentes, ſiniſtram partem ſedentes
occupent: cum tamen iſti procul dubio propter ordi-
nem, & dignitatem eccleſiaſticam, eſſent praeferendi,
prout verè ipſos certis caſibus praecedere videmus.
Quid enim aliud ſibi vult, haec ordinis commutatio,
niſi vt myſteriorum diuerſitas demonſtretur? Porrò
cum dextrum apud ſe latus ſummus Pontifex ſaeculi
principibus cõcedit; Pontificiae maieſtatis declaratur

c. ſolitae extra de maiori. & obedi.

humanitas, illis quidem perillustrem locum ante eximios viros Patriarchas, Primates, atq. Episcopos, omni veneratione dignissimos tribuens, quibus alioquin praecipuus vbiq. locus iure debetur; vt eo beneficio, ac benignitate allecti, ipsi Illustres, primoresq. orbis proceres, tantò libentius, Christi Dei religionem amplectantur, eiusq. Sanctissimum Vicarium omni pietate venerentur: ijdem tamen, non sedentes, sed erecti ibi adstant, tamquam pro tutela, & custodia throni Pōtificij parati, & vigilantes: ac ne propterea sedendo viderentur omnino ecclesiasticis, superiores esse: quos quidem licet digniores, summus Pontifex, tamquam sibi magis familiares in parte humiliori collocat. Rursus verò illi pro cinerum mysterio, piaq. adoratione crucis posteriores incedūt, vt in his saltem duobus humilitatis actibus manifestè sacerdotio cedentes, demissionem animi ostendant, verèq. se aliquando inferiores ordine fateantur. Vt igitur eo, vnde digressa est iā reuertatur oratio; Nihil Petri dignitati, auctoritati, aut primatui derogatur, cum Paulo dextra tribuitur; nec Pauli mirificae electioni, sapientiae ac meritis, cum eā dem Petro assignamus, sed ea vtrisq. aptissimè conuenit: In quo inest mirabile inter ipsos aequalitatis mysterium. Quemadmodum enim, cum ipsum Deum patrem ad dexteram filij esse Propheta ait, diuinitatis, humanitatisq. differentiam intelligimus; cum verò filiū ad dexteram patris sedere ex eodē Propheta legimus, aequalitatem diuinitatis inter patrem, & filium interpretamur:

VIII. RATIO. De aequalitate inter ipsos sanctos.

Psal. 15.

Psal. 109.

pretamur: ita etiam cum Petrũ Paulo praeponimus, Põtificiae dignitatis culmen; cum verò Paulum ad Petri dextram collocamus, aequalitatem gloriae, qua ob aequalia merita ambo in caelis fruuntur, significari rectè dicimus; quos (vt beatus Leo inquit) gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiae membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput Christus est, quasi geminum constitueret lumen oculorum. De his etiã D. Ambrosius ita loquitur. Beati Petrus, & Paulus eminẽt » inter vniuersos apostolos, & peculiari quadam praero» gatiua, praecellunt: verum inter ipsos quis cui praepo» natur, incertum est, puto enim illos esse aequales meri» tis, qui aequales sunt passione, & simili eos fidei deuo» tione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam » peruenisse, & reliqua. Isti sunt, vt Nicolaus Papa iiij. » Leonem primum imitatus, scribit, per quos euangeliũ » Romae resplenduit: isti sunt eius patres, veriq. pasto» res: isti sunt, qui vno die pro merito; vno loco pro glo» ria: sub vno persequutore, pro parili virtute compassi » vrbem ipsam glorioso cruore martyrij Christo Domi» no consecrarunt: isti sunt, qui illam in hanc gloriam » prouexerunt, vt sit gens sancta ciuitas sacerdotalis, & » Regia. De quorum meritis, atq. virtutibus, quae omnem loquendi superant facultatem, nihil (vt idem beatus Leo inquit) diuersum, nihil debemus sentire discretum, quia illos, & electio pares, & labor similes, & finis fecit aequales. Iure ergo optimo ipsa vrbs Roma tantos principes, quorum aequaliter meritis, cum esset

In sermo. de ipsis apostolis.

Sermo. ordi. 66. & 2. q. 7. Beati. Cron. Antoni. tit. 6. c. 4.

c. fundamenta de elect. li. 6. Leo Papa in sermo. de ipsis apostolis. Petr. & Paulo.

Ibidem.

magistra erroris, facta est discipula veritatis; quos etiã ambos pariter pro eius commodo, & salute tantum laborasse constat, vt Attilam Dei flagellum ferociter in ipsam vrbem irruentem, etiam strictis gladijs à nephario conatu diuinitus occurrentes expulerint: pari (inquam) vtrosq. honore, tot beneficiorum memor, & quàm gratissimo potest animo prosequitur; dignitatemq. vtriusq. varijs in locis vicissim extollit: atq. ipsa apostolica sedes Romaniq. Pontifices, antiquissimum morem adhuc retinentes, ne maior vni, quam alteri honos exhiberi videatur, licet Pauli faciem in dextra, Petri verò in sinistra plumbei sigilli apponi faciant; tamẽ in ipsa diplomatum scriptura, cui idem sigillum appenditur, & aliàs quoties de ijsdem mentionem fieri contingit, Petrum primò, mox Paulũ nominant. nuperrimè aũt in Regia aula Vaticani, structurae magnificentia, & specie haud facile alteri in orbe secunda, a Paulo iij. olim incoepta, nunc demum tua GREGORI. munificentia, ac liberalitate, pulcherrimo opere, picturis, & pauimento, illustrata, atq. perfecta, non inconsultè artifices ipsorum apostolorum imagines, nõ vno modo, sed vicissim alteram alteri cedentem finxerunt. Quod si tot, doctrina, & sanctitate conspicui patres, vter eorum alteri praestaret definire ausi minimè sunt, sed eos aequè venerandos esse statuerunt; quis id amplius in contentione ponere audeat? Quare satius fuerit praeclara eorum admirandaq. facta mente euoluere; excelsas vtriusq. virtutes, vitae innocentiam, memoranda

moranda exempla, diuinaq. ſcripta, & praecepta ab il lis nobis tradita accuratè perpendere, & contemplari; quantumq. in nobis eſt, vt eorum quam ſimillimi effi ciamur conari; per ſigna, ſacrasq. illorum imagines in glorioſae ſortis eorum cogitationem aſcendere, cogi- tando admirari, admirando humili eos corde rogare, vt nobis apud regem regum, omnium creatorē, & mo deratorem ſuis ſuffragijs praeſto eſſe velint, vt & nos ali quando tantae felicitatis conſortes eſſe mereamur. Ac quãdo huius ſanctae ſedis fundatores, fautoresq. ſem per extiterunt, eam etiam perpetuo protegere dignen tur; & te GREGORIVM XIII. eorũ loco nauis gubernacula, Diuino conſilio, noſtris tēporibus regen tē, à fluctibus, procellisq. defendant, noſtroq. & Rei- publicae Chriſtianae beneficio, tantũ principē, & pa- ſtorē; in quo nec doctrinam, nec prudentiam, aut gra- uitatem morum, nec optimae mētis conſcientiam, aut gubernandi peritiam, omnibusq. in rebus aequabilita tem, aut ullam deniq. uirtutem deſiderare aliquis iure poſſit: diutiſſimè ſeruari, eorum interceſſione, & pre cibus à Domino contendant.

FINIS.

